



C. 151.

Ernesti, p. Aug et Hofmann, p. Fr.: Emendationes voluntatis pro saltem in -  
pugnabunt. = 1

Ernesti, p: Philosophiae perfectae grammaticae ad Quintil. instit. orat. L. 7 p. 7. = 2

— De necessitate revelationis divinae aduersus eum qui eas cognitionem actioni  
humanae assertum sunt. = 3

— Oratio Lipsiae 9 Apri. 1742. professionis humaniorum lit. ad eundem causa habita. = 4

— De grata negligentia orationis prolusio scholastica. = 5

— De fide historica recte aestimanda. = 6

— Demonstratio major utiliusque esse latinos auctores intelligere quam probabi-  
lites possiles datur et plerumque illud non posse. = 7

— Prolusio de difficultatibus Novi Testamenti parte interpretandi. = 8

— Ansmadecurios phileb. in librum francorum de causis legum proposueruntur. = 9

— De pestigie linguae Hebreorum in lingua Graeca. = 10

— Prolusio de templo Herodes M. ad Aggaii II, 18 et Joseph. A. I, xv exto. = 11

— De difficultate interpretationis grammaticae Novi Testamento. = 12

— De Lucas et Josephi in morte Herodis-Agrippae consensu. = 13

Schargenburg, Jo. Hr.: De Josephi et versionis Alexandrinae consensu. = 14

Ernesti, p. Aug.: De philosophia vitae. = 15

II 1756 = 17

— vindictae artitiae domini in religione constituenda. I. 1756: 16 III. 1762 = 29

— Specimen castigationum in p. Holstenii editionem N. testamenti. = 18

— Oratio professionis rhetoricae ad eundem causa in aradigr. o. d. v. Hal. 1766. = 19

— Discretiothes Callimachii et Cadiani comparatio. = 20

— Exortus Marian. Corellianum, de stilo Josephi (1756). = 21

— De origine interpretationis ss. grammaticae auctore. = 22

— De fontibus archaeologiac. = 23

— Solemnia magisteriarum philosophiae et bonum auctum. I. 1756 Feb. 1757 indit. = 24

— De judaeorum odio adversus literas Graecas. = 25

— Narratio critica de editionibus orationum Ciceronis. = 26

— De aucteo Platonis = 27

- Ernesti Jo. Aug.: De theologiae historicae et dogmaticae coiungenda necessitate.
- Ad memoriam diei natalis d. Iesu Christi celebrandam, a. d. 25 Decr. 1764 invitat.
  - Brevis repetitio - sententiae Lutheranae de praesentia corporis et sanguinis I. C. in cena parva.
  - Memoriam instauratae religionis evangelicae die xxvii Oct. 1768 colubrandam invitat.
  - Ad Solemnia natalis d. Iesu Christi die xxv Decr. 1768 invitat.
  - Narratio critica de interpretatione prophetarum Messianorum in ecclesia Christiana.
  - Ad Solemnia parhalia die xxv Aprilis 1769 celebranda invitat.
  - Ad Solemnia pentestalia die xxv Maii 1769 celebranda invitat.
  - Ad Parhalia parva in aed. Paulina die xxvi April. 1768 consuebranda invitat.
  - Ad memoriam diei natalis d. mortis Iesu Christi die xxv Decr. 1774 celebranda invitat.
  - Ad parva pentestalia die Feb. I. 1775 celebranda invitat.
  - Ad Solemnia disputationis palliarum pro licentia capessendis gradum doctorum et duorum theologiae doctorum etendorem invitat. vobis. Jul. 1775.
  - Ad memoriam diei natalis d. mortis Iesu Christi die xxv Decr. 1776 celebranda invitat.
  - Ad parhalia parva in aed. Paulina die xxv April. 1777 celebranda invitat.
  - Ad memoriam eruditorum per Lutherum parvorum prid. Nov. 1776 invitat.
  - Ad parva pentestalia Febr. I. 1777 celebranda invitat.
  - Ad memoriam eruditorum per Lutherum parvorum prid. et Nov. invitat.
  - Proclusio de epigrammate Callimachi in tracti phænomena.

41 Ernesti ... Disputationis publicae [Ex. 86]

= 28  
= 30  
= 31  
= 32  
= 33  
= 34  
= 35  
= 36  
= 37  
= 38  
= 39  
= 40  
= 42  
= 43  
= 44  
= 45  
= 46  
= 47



2.

DISSERTAT. PHILOSOPHICO-PHILOLOGICAM  
QVA  
**PHILOSOPHIA**  
**PERFECTAE GRAMMATICAЕ**  
ASSERITVR  
ad QVINTIL. INST. ORAT. L. I. & IX.  
PRAESIDE  
**M. IOAN. AVG. ERNESTI**  
DEFENDET  
**GEORG FRIDER. BEHRMANNVS**  
LIPSIENSIS.  

---

---

**D. V. IAN. A. MDCCXXXII.**  

---

LIPSIAE  
LITERIS ZEIDLERIANIS.

170  
АПНОГОЕИ  
ВЛІДАЯДІСКІ



**P**ericulosa sine dubio multis, quibusdam etiam friuola atque inutilis videbitur omnis, quam suscipimus, tractatio. Quid enim his suspicioſiſſimis temporibus periculofius habetur Philosophia: aut quando hi, quorum interest calumniari, se calumniatos esse efficacius putant, niſi ybi aliquem inter Philosophos esse, aut, ut habeatur, elaborare, euicerunt: aut quid denique magis ſolemne eſt, quam literis humioribus ita operam dare, ut Philosophia negligatur, quiſ ex ea nihil praefidii ad easdem docendas docendasque retinat peti poſſe videatur? Enim uero quiū neque calumnias praefiantiam rerum imminuere: neque peruersa iudicia res ipsas mutare: neque exempla, quaē plurima mihi a diſſentientibus opponi poſſe praecclare intelligo, vero obſeffe inter omnes conſter: nullam dubitandi rationem subeffe existimau, quo minus de argumento iſto expōnerem. Quin potius illud quiū eximio Iuueni me duce in publicum prodituro, atque virium facturo periculum praecclare conuenire, tum vero nec a rationibus meis alienum eſſe exploratum habeām. Quandoquidem enim



me a seuerioribus studiis ad mitiores Musas redire nuper  
diuina prouidentia iussit: haec ipsa, quam disceptandam  
propono, commentatio, vnde venerim, quo sum transie-  
rim declarabit.

## §. II.

Philosophiae in re Grammatica necessitatem lectoribus persuasio, in primis illud faciendum esse sentio, vt, quam Philosophiae vocabulo vim ac potestatem tribui ve-  
lim, letores recte intelligent. Nisi enim prorsus fallor,  
haec praecipua est spretae a multis contemtaeque Philoso-  
phiae causa, quod illius squalidam quandam, distortam  
atque obscurissimis tenebris deformatam imaginem animo  
conceperunt. Atque hi fere illi sunt, qui libellis Aristoteleo-Scholasticorum, quos vocant, Philosophorum no-  
bilissimae doctrinarum veram perfectamque expressam  
esse imaginem, statuere edocti sunt. Quorum fastidio  
non minus ac contemtorum levitati facile mederi me posse  
confido, quum effecerim, vt intelligent omnes, Philo-  
sophiam veram neque omnem obscuris vocabulorum et  
distinctionum voluminibus contineri; neque ad Euclideae  
methodi, haut sane omnibus ingenii ac aeratibus aptae,  
regulas conformatis demonstrationum catenis ita implici-  
tam adstrictamque esse, vt non nisi earum ope doceri pos-  
sit. Quid quidem eo facilius factu mihi est, quo magis  
perspectum multis atque exploratum, omne id ad Philo-  
sophiam a praestantissimis Philosophorum referri, cuius  
claram perspicuum et distinctam animo ideam formaueris,  
cuiusque explicare rationes et causas possis. Obscure  
cognoscere res et confuse; nosse eas, sed ignorare, cur  
sint, plebis est. Vbi distincte cogitas de re oblata; vbi  
senza explicare animi ita alteri potes, vt is-plane intelli-  
gat; vbi denique reddere vales rationes, cur res haec vel  
illa



illa accidat, cur hoc tempore ac loco, non alio; cur hoc modo, non diuerso; quisquis es, vir, semina, iuuenis, puer, philosophiae particulae tenes. Qui multas eiusmodi Philosophiae, de rebus ad Deum, mentes humanas, corporum naturam, et mores pertinentibus, particulas tenet, easdemque bene inter se connexas, Philosophus est. Qui enim perfectam plane et numeris absolutam omnibus Philosophiam animo complectatur, praeter Deum seito esse neminem. *a)*

*a) BVLF.  
FING.Theol.  
Tubing. Diff.  
de cognit.  
tripl. hist.  
philos. math.*

### §. III.

Iam quem formauimus nobis ac veluti fiximus Philosophum rei Scholasticae, hoc est, literis elegantioribus asteramus. Qua de re cogitanti illud primum fere occurrit; quum Philosophia ad limandos facta sit poliendosque hominum animos, doceatque perspicue omnia, solide, ac eo, quem quaeque res requirit ordine et cogitare et eloqui: verosimili esse proximum, limatiora, euidentiora ac praestantiora futura esse, quae a Grammatico Philosopho tradentur iuuentuti aut exponentur. Quod cum sit ad utilitatem Philosophiae in re Grammatica euincendam satis: tum ad necessitatem eiusdem demonstrandam haut leue videtur. Multum immo vero plurimum trahere iuuenilia ingenia ex iis siue libris siue magistris constat, qui iisdem formandis adhibentur. Quantum vero melius est, optima quaevis proponere, et magistros hos iis praeficerre, qui accommodare ad omnes omnia, et (neque hoc enim negligi debet) num percepserit tradita discipulus, iudicare, qui rerum rationes, ita ut intelligantur, doce-re; denique haec omnia ordine cuique rei apto exornare possunt: quam eos, qui distincte cogitare ob Philosophiae defectum ipsi nesciunt; qui ipsi Psittacorum more recitant, quod legerunt, audiuerunt; qui quaerentibus

pueris: quid ita? orantibus: hoc non capio, huius rei  
ideam nullam teneo, expone, quae ista res sit, quae illius  
ratio; facere satis non possunt. Ex illis enim quicquid  
traxerint, vtiliter trahent; ex his, nisi quod ipsos corrum-  
pat, trahere nihil possunt.

#### §. IV.

Philosophiae usum si quis eum tantum esse voluerit,  
vt, quid de quacunque re existimandum sit, sciamus,  
aut vt vocabula quaedam in disciplinis usurpari solita in-  
telligamus: nae is valde exigue et parum praecclare de ea-  
dem sentit. Latius patet illius vis, ac non per omne so-  
lum doctrinae, sed etiam vitae, dicendi denique scriben-  
dique genus vagatur. Ego qui historiae, quam litera-  
riam appellant, ita operam dare institui, vt in literarum  
et artium non fata solum et mutationes, incrementa et di-  
minutionem, inuenta nova et excogitata, sed origines  
etiam et causas cognitae veritatis et occasionses admissi  
erroris inquiram; (ita enim demum vtiliter illi studeri  
edoctus sum) diligentissime scrutando intellexi, omnem  
emendatae, purae, perspicuae, ornatae, sublimis deni-  
que orationis gloriam Philosophiae; impurae, barbare,  
obscurae, maculatae, hiulcae, frigidae turpitudinem,  
ignoratae Philosophiae esse tribuendam. Ex quo Socrati-  
ca illa Philosophia apud Graecos inuuluit, tum vero  
etiam Platonica illa in dicendo vis, Demosthenea graui-  
tas, et Xenophontea suauitas enuit. Omnem illam  
vim, grauitatem, atque abundantiam et suauitatem vna  
cum Philosophia ad Romanos Ciceronis aetas transtu-  
lit. Neglecta et corrupta philosophia apud Graecos et  
Romanos, recta illa dicendi scribendi regula obmutuit.  
Non nisi emendatae repurgataeque per Cartesium et Lo-  
ckium Philosophiae Flechierios, Bossuetos, Rueos, Boila-  
uios,



7

uios, Tarteronios, Teraffonios, Saurinos, Fontenelios  
atque alios Gallia; Tillotsonos, Burnetos, Clarkios An-  
glia debet. Neque alia nisi eiusdem sanioris Philosophiae  
ope primus Germanorum ausus est Mosheimius, ad An-  
glorum illam grauitatem, et Gallorum abundantiam et  
suauitatem assurgere. Quod igitur elegantissimus Gallo-  
rum Fontenellius de Matheſi praedicavit, inter multas uti-  
litates alias hanc ipsius quoque esse praecipuam, quod in  
iis etiam libris, qui ad Matheſin non pertinent, sed a Ma-  
thematicis fuere conscripti, consuetae eorum soliditatis et  
evidentiae vbiique vestigia inueniantur: id de Philosophia  
summo iure affirmare nobis licebit, quod scilicet in his  
ipsis quoque scriptis, in quibus Philosophus quidam de  
argumentis ad Philosophiam non ſpectantibus exponit,  
singularis quidam ordo, perspicuitas, et soliditas, ſplen-  
deat vbiique et eniteat. Adeo verum est illud Horatii:

Scribendi recte, sapere est et principium et fons.

## §. V.

Illud vero longe eſt in hac re maximum, quod qui-  
dem nemo, niſi qui Philosophicis doctrinis bene imbutus  
eſt, literas humaniores recte tractare, atque iis iuuenes  
erudire potest. Qua in re quum non dubitem plurimos a  
me diſſenſuros eſt; in eo mihi inprimis eſſe laborandum  
video, vt hoc omnibus ita appareat, vt, quid opponant,  
non habeant. Sed haec omnia paullo post per singula la-  
boris Grammatici, genera eundo, quanta diligentia po-  
tero exſequar. Hoc loco id efficere paucis conabor, vt  
praeftantissimos quoſque elegantiorum literarum magi-  
ſtros (neque enim hoc parum apud multos valet argu-  
mentandi genus) ita exiſtimasse appareat. Quintilianuſ,  
quem harum literarum rectaeque earum docendarum ra-  
tionis

tionis peritissimum fuisse nemo ignorat, valde solemne est, a magistris harum literarum requirere, ut eorum quae proponunt, docent, postulant, emendant, rationes teneant, et reddant.  $\beta$ ) Idem praceptoris virtutem maximam esse dicit, ut discrimina ingeniiorum no-

$\alpha$ ) Instit. Orat. I. 4. IX. 4.  $\gamma$ ) I. c. II. 9.  $\delta$ ) I. c. I. 2.  $\epsilon$ ) I. c. II. 3. tet:  $\gamma$ ) ut temperare sciat vires suas, et ad intellectum et infirmitatem discentium descendere:  $\delta$ ) et submittere se ad mensuram discentium:  $\epsilon$ ) quae quidem omnia sine Philosophia praestare nemo potest. Vnde enim nisi ex ea mentes hominum aestimare, ac earum vires veluti metiri discitur? Rerum autem singularum rationes nosse et reddere, Philosophi esse, nemo non intelligit. Denique idem

$\zeta$ ) I. c. I. 4. Quintilianus  $\zeta$ ) Grammaticum Philosophiae ignarum non posse esse perfectum diserte affirmat. Crates autem apud Sextum  $\eta$ ) τὸν μὲν περιπτῶν, ait, πάσης δει λογιῆς ἐπισήμης ἔμπειρον εἴναι. Atque haec, nisi fallor, ratio est, cur multi veterum et recentiorum cum Grammatices et Critics studio Philosophiam coniunxerunt: quod de Pto-

$\eta$ ) contr. Ma- lomaeo Peripatetico apud Sext. Empiric.  $\theta$ ) Zolio Am- them. I. 3. philopita Homeri mastige apud Suidam in  $\zeta\omega\lambda\sigma\zeta$ : (apud quem plures alii occurrunt) Aurelio Opilio et Pompilio Andronico apud Sueton.  $\iota$ ) Varrone, Valla apud Ion-

Gramm. c. 6. 8.  $\kappa$ ) de Scri- L. III. c. 21.  $\eta$ ) de illistr. tor. Philos. multis aliis constat. Neque illud alienum ab hoc loco est commemorare, veterum acutiores puros Grammaticos, qui Philosophiam ignorabant, inter ineptos homines numerasse. Sextus certe  $\lambda$ ) bis γραμματινὴν παχύτητα ap-

Fabric.  $\mu$ ) I. c. p. 276.  $\lambda$ ) contr. Math. p. 229. et 247. ed.  $\nu$ ) I. c. p. 276. pellat stultitiam et arrogantium Grammaticis solemnem et solitam, eidemque  $\mu$ ) ὄντως γραμματινὸν, vere grammatico dignum, idem quod ineptissimum est: quem ipsum, vt infra ostendemus, bene intellexisse nouimus, neminem Grammaticorum sine Philosophia poetas aut Oratores aut historicos explicare posse.

6. VI.

Iam per singulas muneris Philologicci partes eundo, quam sit Philosophia ad easdem rite obheundas, non dicam, utilis, sed plane necessaria, docebimus. In partibus grammaticae constituendis non consentiunt veteres, vnde πολλὴν οὐδὲ ἀγένυτον παρὰ τοῖς γραμματικοῖς, περὶ μερῶν γραμματικῶν, διδασκον esse ait Sextus Empir. ν) Quintilia-nus ξ) partes facit, recte loquendi scientiam, et enarrationem poetarum, siue rectius, ut alibi ait ο) auctorum. Dionysius Thrax in praeceptis grammaticis a Fabricio editis, π) praeter ἐμπειρίαν, τῶν παρὰ τοῖς ποιηταῖς τε οὐδὲ συγγραφεῖσι α) ως ἐπὶ τὸ πολὺ λεγομένων, requirit nihil; cum quo fere consentiunt Asclepiades et Demetrius Chlo-rus apud Sextum. I. c. Varro autem ρ) Grammatici officia quatuor partibus contineri dicit, lectione, enarratione, emendatione, iudicio, quem locum Falstero de-beo. σ) Receptum autem plurimis est tres eius partes constituere, quos et Sextus sequitur τ) τεχνικὴν, ισορικὴν et ἔξηγητικὴν. Nos, quum sententia fere inter se consen-

a) Συγγραφέας a poetis distinguit Dionysius. Sunt autem συγγραφέοι ipsi qui Quintiliano Inst. Orat. I., 9. auctores dicuntur, historici, oratores etc. verbo, profaci. Conf. in hanc rem Sextus contra Gramm. c. I. c. 3. De rhetore usurpatum occurrit ap. Liban. Epist. pag. 20. Historicos etiam συγγραφέας dici Wolf. ad Liban. Epist. p. 134. ostendit. Ibi enim Historicus Ammianus Marcellinus συγγραφέος dicitur. Herodianus L. I. sub init. libros suos vocat συγγραφὴν. Dicuntur tamen etiam poetae συγγραφέοι. Epiphan. adv. haeret. L. I. p. 3. Nicandrum vocat συγγραφέου vid. Fabric. Bibl. Cr. L. IV. c. 3. pag. 100. Menandrum etiam a Phaedro Scriptore appellari memini et Sextus l. c. 3. c. sit: Καλλίμαχος ποτὲ μὲν τὸ πόμπη καλλί γράμμα, ποτὲ δέ τὸ κατελογόδινον σύγγραμμα. M. le igitur Thomas Magister ab ἴστριον οὐ διῃγεῖ συγγραφέα.

5

tiant omnes, auctorem potissimum sequi Quintilianum constituimus. Grammatici *b*) igitur officium duabus maxime rebus cernitur, recte loquendi scientia, et auctorum enarratione. Sine Philosophia autem neque recte loquendi scientiam teneri, neque auctores enarrari posse, statim apparebit.

### §. VII.

*Primum igitur Grammatici opus est, vim ac potestatem vocabulorum indagare, eruere ac suis tradere, a quo omnis et auctorum intelligentia, et stili puritas proficiuntur.* Hic vero quid ex Philosophia praesidii petendum sit, fortasse multi requirent, quum, ex eorum sententia, ad hanc rem praeter vocabularium profit nihil. *Quia* in re quantopere fallantur, facile erit demonstrare. Semper ego vocabulorum illos indices, quos *Lexica* dicunt, pessimos Latinae et Graecae linguae discendae docendaque auctores esse existimau. Eorum enim usu contingit, ut ideas vocabulorum Graecorum et Latinorum nullas habeant discentes, aut dimidiatas tantum, mutilatas, et minus perfectas, certe non eas, quae cuique veterum scriptorum obuersatae animo fuerunt. *Quo* efficitur, ut veteres Scriptores legentes eorum mentem assequi nequeant:

*b*) Dicuntur et *Philologi*. Conf. Sueton. de Illustr. Grammat. cap. 10. v. Wowerius de Polymath. c. 15. Distinguuntur tamen a Seneca Epist. 108. *Critici*. v. Horatius Epist. II, 1. 51. etiam si *Criticum* a *Grammatico* discernat Crates apud Sext. Empir. contr. Grammat. c. III. Neque enim *Grammatices* et *Criticis* ab omnibus iidem fines constituantur. Conf. Walch. Hist. Crit. Ling. Lat. p. 3. Clerici art. Crit. p. 1. *Polybibliostores*, denique. Vid. multa de hac re disputantem eundem Walchium I. c. c. 4. add. Fabric. ad Sextum. I. c. et Vossius de nat. et constitut. Grammat.

queant: tum quod alias, arctiores, ampliores vires vocabulis, ac ipsi, tribuunt; tum vero quod assueti sunt, singula scriptoris vocabula inter legendum cogitatione in linguam vernaculam conuertere, adeoque non res verbis designatas, quod quidem fieri debebat, sed vocabula alia familiora, quae nec ipsa saepe numero intelligunt, cogitare. a) Quod si quis ab his letta intelligi putet, profecto is ne quidem, quid sit intelligere, intelligit.

### §. VIII

Is Graecae Latinaeque linguae auctores intelligit, qui eos legens eadem plane cogitat, quae ipsi scribentes cogitarunt. Id igitur linguarum doctori faciendum est, vt, quid Graeci Latinue, hic illeue scriptor, hac illaue aetate, vocabulo quadam aut formula quadam loquendi usus cogitatetur, discentes plane intelligent. Quod sane Lexicorum usu effici saepissime non potest: tum quod linguae sibi non ita respondent, vt verbum verbo reddi possit, quod tamen iis solempne est; tum vero, quod nos re-

### B 2

### rum

a) Vid. Clerici artem Crit. P. II. §. 1. c. 2. Inde etiam mos, Germanicis vocabulis cogitata latinis efferre, quae est *Germanismorum* origo: veluti Ebraeorum more vel potius Ebraica verba cogitantes, Graece autem scribentes Ebraismos efficiunt, quae est vera *Ebraismorum* in N. T. occurrentium origo. Hinc intelligi etiam potest, quid sint in Lat. lingua Ebraismi et num dentur? cuius quaestio nis vberiorem expositionem promisit Walch. Hist. Crit. L. L. p. 148. quemadmodum, Garackerum quosdam in lingua Graeca inuenisse refert idem Walchius ex Cinni c. 9. Mea sententia nec lingua Graecorum, nec Latina haber *Ebraismos*, etiam apud eos occurtere possint, qui Graece latineue scribunt. Ita in Germanica Lutheri versione S. Codicis et Graecismi et Ebraismi occurruunt sat multi, etiam Lingua Germ. nullos habeant.



rum multarum alias, ampliores, arctioresue ideas habemus, quas quidem iungimus linguae nostrae vocabulis, ac Scriptores veteres habuerunt. Quo fieri solet, ut ipsis plus vel minus tribuamus, quam tribuendum erat, eosque adeo non intelligamus. Vocabula igitur recte suis expositorum aut intellectorum a Lexicorum fraudibus sibi cauere oportet, quibus auctores interpretandi ratio valde corrupta est, a) et praecipuum auctorum interpretandorum et vis vocabulorum percipiendae praescidum ex philosophia, historia, et ipso quem interpretamur, auctore petere, eorum scilicet more, qui prius quam lexica existent, Graecam Latinamque linguam rectius, ac nostrum tot illarum thesauris, scilicet, instrutorum plurimi, calluerunt. Ego vbi meo res stat arbitrio,

- a) Hac de Lexicis dicta addenda iis puto, quae de eorum usu dixerit Walchius Hist. Crit. L. L. p. 168. et honoratissimus noster Dn. Collega M. Gesnerus in Instit. rei Scholast. p. 60. Ceterum interpretationum corruptelas plurimas inde oriri paucis exemplis declarabo, quae primum occurserunt Graecos quosdam, qui ad manus sunt, enoluient. Homeri et Hesiodi Interpretes latini pessime v. c. οἱ ἀπόφηντες reddunt qui circa Herkulam erant cf. h. l. Scalig. ad Euseb. p. 101. βίην ηγελένην, vim herculanam. Hesiod. Theog. v. 943. Seut. Herc. v. 52. 416. 453. etc. Homer. Illiad. δ. 386. Ita vim vocabuli κυριάτειν non expresserunt Interp. Hesiod. l. c. v. 281. Aelian. V. H. IX, 26, quam hauries ex Lamb. Bos ad N. T. p. 117. sq. λύγειαν Theog. v. 313. redditur: odioſa edocētam. Χερματα ap. Aelian. V. H. I. 19. pecunia, cum supellex templorum intellegatur. τὴν κείσιν διαφένειαν l. c. II. 6. redditur, iudicium corrumpere, pro irriter facere. δίκαιος δέναος καὶ λαβεῖν l. c. III. 38. poenas dare et repetrere. περὶ πλήθεσσαν ἀγοραῖν l. c. XII. 30. cum iam frequens esset hominibus forum; καὶ δεσμὸν benefactorem pro adſine. l. c. XII. 61. Quae ex Luciano afferri possent, omittimus, ne in meridie lucem accendere videamur.

trio, ita instituere res meas soleo, vt, auctorem interpretaturus, quae ipsi obuersata fuerit cogitatio per singula vocabula et formulas eundo indicem: b) cogitata vero Latine exprimere docturus, quid Romani eadem cogitaturi aut dixerint, aut dicere debuerint; quae quibusvis ideis vocabula, quasque idearum seriebus et veluti complexibus oratione exprimendis formulas adhibuerint, doceo; aut, vt ex auctoribus exponi solitis notentur, aut ex me potius quam ex Lexicis petantur, moneo rogoque. Qua ratione non illud solum effici puto, vt Latine discant Latinos legentes, vt cum Clerico loquar, cogitare; Sed etiam ne Latine scripturi Germanice cogitantes latinis verbis Germanice scribant.

## B 3

## §. IX.

b) Fingamus vocabulum, Deus, occurrere. Quod si auctor, qui eo viritur, est Christianus, aut de auctore mundi loquitur, acquisisco vocabulo, quo lexica illud reddunt, Gott. sine dubio enim discenti succurrit notio Dei ex elementis Christianae doctrinae, quae auctori obuersata fuit. Sed sit alius locus in scriptore clascico, v. e. vbi Dii deaque omnes intuocantur. Tum vero non contentus essem uno illo vocabulo, sed Deum esse dicerem ein Wesen oder Ding, das schöner, mächtiger, stärker ic. ist als die Menschen ordentlich sind. Aut sit τὸ μεγαλύνειν Luc. I, 46. explicandum. Non mihi certe sufficeret reddere illud: magnificare, laudare. Sed primum dicerem illud, magnitudinem eorum, qui intellectu gaudent, vel opibus, vel honore et dignitate, vel denique virtutibus intellectus et voluntatis aestimari. Dein vero adderem μεγαλύνειν esse intimo potentiae; Sapientiae et clementiae divinae sensu non solum perfundi, sed eundem etiam voce declarare. Ita scilicet puto effici, vt discentes idem cogitent, quod Auctor cogitauit, adeoque eundem intelligant. (§. 7.) Quod si vero eiusmodi quid verbis effici non potest, vt certe scire nequit, cum scilicet de rebus sermo est, quarum notio non nisi sensuum ope hauritur; tum vero imaginibus efficiendum est, quod verbis praestari nequit.



### §. IX.

Vt vero paullo clarius fiat, quantum ob sit notionibus vocabulorum veris et distinctis carere et acquiescere in Lexicorum oraculis; lubet duo illustria, quae haec mihi scribenti occurunt, exempla afferre. *Defectus* linguarum omnium more constat eo modo exprimi, quo *substantiae* aliaeque res vere existentes; vocabulis scilicet, quae substantia Grammaticis dicuntur. Iam, vbi haec vocabula explicantes pueris, nec ipsis rei vocabulis significatae notionem tenent, nil agunt, nisi vt vocabula aliis vocabulis, Graeca latinis, latina germanicis reddant, parum solliciti de notionibus rerum vocabulis significarum exhibendis. Hinc vero oritur illud, in philosophia perniciosissimum, vt, qui ex eiusmodi magistri disciplina prodierunt, defectus illos, non secus ac in Grammatica et Lexico sit, inter substantias et res existentes referant, vbi ex orbe vocabulario ad philosophicum delati fuerunt. Quod, qui controversias de spatio, vacuo, nihilo aliisque rebus recte tenent, non possunt ignorare. Dignus omnino est, qui hoc loco legatur Crousaz *Nouvel Essai de Logique* P. I. Sect. II. c. 1. §. 9. 10. conf. Sturmius *Physic. Hypoth.* pag. 59.

### §. X.

Qui primi omnium vocabulis ad usum vitae excogitandis operam dedere, rebus, qui in defectuum et imperfectionum numero sunt, nomina positiva, vt Philosophi loquuntur, tribuerunt; propterea, quod hae illis cognitae et perspectae essent; quae autem his oppositae sunt perfectiones, obscurae et ignorae. Eiusmodi sunt, mortalis, vitium, error, corruptibilis, corporeus etc. Postea vero quam perfectiones defectibus illis respondentes agni-

\* \* \*

agnitae sunt, nomina his impontere negatiua; cuiusmodi sunt, immortalis, incorruptibilis, corpore carens, immensus, infinitus, etc. Quae res effectit, vt, qui supra Lexicorum et Etymologiae sapientiam assurgere nequeunt, ad eam saepissime opinionem delabantur, vocabulis positius semper positius res, negatiuis autem vbiique negatiuas significari. Haud sane alio errore deceptus est, qui cum oolidissimo Boehmio sutore, Deum esse aeternum nihil, affirmare sustinuit, Christianus Thomasius. Neque nisi ex eadem opinione grammatica illa et vocabularia Philosophia viri humaniorum literarum quam maxime gnari orta est, quae sciri equidem, quis non sit Deus, mortalis scilicet, finitus, dependens etc. affirmat; negat autem fere, quis sit, intelligi: quam et nunc quibusdam, quibus omnia paene, quae noua sunt, placent, valde probari compertum habeo.

### §. XI.

Cum igitur Lexica non sufficient ad intelligenda vtriusque linguae vocabula et φράσεις, aliis opus esse auxiliis patet. Horum vero singula Philosophiae finibus contineri, adeo humaniorum literarum ignarus non sum, vt affirmare audeam. Plurimum enim hic historiae, mythologiae, antiquorum rituum, morum, consuetudinum opinionumque cognitioni tribuendum esse, plane intelligo. Idem vero et illud contendō; neque hanc sine philosophia ad perfectam vocabulorum et dicendi formulorum interpretationem sufficere; sed et rationalem, naturalem moralemque scientiam inter subsidia ad eam necessaria aliquo et fere praecipuo loco esse.

### §. XII.





## §. XII.

Recte Morhofius de pura dictione p. 48. proprietatem vocabulorum et phrasium illam significationem et acceptiōnē esse ait, quam vel populus illi imposuit, vel e populo sapientiores v) viri in dignitate publica et magistratibus constituti. v. quae ibi addidit Rev. Moshemius. Hanc saepe ex historia et etymologia petendam esse recte statuitur; etiam si hanc ut plurimum valde ambigūam esse verae vocabulorum vis magistram, dudum Philosophis, Lockio, Clerico, Wolfio, Ridigerio atque aliis obseruatum sit.  $\Phi$ ) Praecipuam autem hic philosophiae vim tribuendam esse summi latinae orationis magistri mori Cogit. Philol. p. 180. Cf. Falste. Quæst. L. III. c. 3. Inst. Or. L. XII. c. 2.

v) His quidem ea in re plurimum omnium tri- bùendum esse conten- dit Socrates apud Plato- tylo p. m. 49. Cf. Falste. Quæst. L. III. c. 3. Inst. Or. L. XII. c. 2.

z) Tufc. Quæst. L. III. c. 3.

Quod quam sit a vero minime alienum, nisi philosophiae rationalis plane ignarus, nemo non intelligit. Haec enim non solum de legitimo verborum usu praecipit; verum etiam de eriendo eorundem aequa ac integræ orationis sensu exponit, ac omnem interpretandi artem tradit. Quo igitur iure perfecta quaedam explicandi auctores et vocabulorum phrasiumque potestates erendi tradendique facultas tribui illis potest, qui hinc philosophiae partem plane ignorant, aut primis tantum labris degustauerint, aut denique regulas ab illa traditas recte applicandi facultatem, quam non nisi diuturna reliquarum philosophiae partium tractatione consequimur, sibi non comparauerunt?

## §. XIII.

## §. XIII.

Evidem mihi a philosophiae hostibus obici posse intelligo, regulas interpretationis a Logicis traditas facile mandari memoriae, nec accurata, quam philosophi requirunt, logices cognitione opus esse. Quae ipsorum oratio, quam sint arte interpretandi rudes, plane declarat. Ut enim non repetam, quod paullo ante significavi; ad regularum cognitionem diuturnum usum accedere debere, si quis in eis applicandis recte versari velit: illud arbitror facile intelligi, non regulas solum, sed earum etiam rationes et fundamenta ex intimis logices et philosophiae veluti adyris petenda requiri, ut sine errandi periculo ab interprete adhiberi queant. Quod enim dicunt, nullam sine exceptione regulam esse, id hic vel maxime locum habet. Haec autem quando et ubi fieri debeat, nemo, mea sententia, scire potest, nisi regularum rationes teneat. Exemplo res erit manifesta. Regulam, nosti, interpretationis illam etiam esse, Theologis in primis usurpatam, quae auctorem ex auctore explicari iubet. Evidem hanc cum rationis praecepsis consentire nemo potest dubitare. Neque tamen et illud cuiquam potest esse obscurum, regulam illam omnibus auctoribus locis applicari non posse, sed saepissime ab ea esse receundum. Quis non falli eum putet, qui v. c. sensum illius Virgiliani Aeneid. II, 693 et IX, 631: intonuit laevum, esse ex Eclog. I. v. 18. repetendum tradat. Aut quis non maxime alieno loco eam adhibitat esse regulam contenderet, si quis illud τὸ τέταρτον ἐστι τὸ σῶμα μᾶς, ex 1. Cor. X, 4. ή δὲ πέτρα ἡ ὁ Χριστός, interpretari velit? Videndum igitur est, quis locus ferat hanc regulam, quis recusat. Quomodo vero id potest intelligi, si quis regulas eius rationes, fundamenta et conditiones quibus veritas eius et usus nititur, quibus ignoratis, neque ubi il-

C

lae



iae obtineant, neque, vbi regulae illius applicatio locum habeat, iudicari sine praefentissimo errandi periculo potest.

#### §. XIV.

Non alia Grammaticis solemnior est ratio eruendae vocabulorum et dicendi formarum significationis, quam quae exemplorum vsu et comparatione continetur. Haec autem a nemine Philosophiae ignaro commode iniri potest. Quae in exemplis latent notiones, obscurae sunt et confusae. Quae requiruntur a Grammatico, claras esse oportet et distinctas; tales scilicet, quae communicari cum aliis possunt; id quod fieri, si obscurae et confusae sunt, nequaquam potest. Quo vero alio ex fonte, nisi Philosophiae rationalis, hauritur felix illa ex obscuris claras, ex confusis distinctas efficiendi notiones facultas et solertia? Illius ope obscura et occulta in multam lucem protrahuntur; id quod illustri Theologorum et Philosophorum exemplo constat, qui eius praesidio terminorum Scholasticorum claras et distinctas definitiones ex exemplis definitionibus obscuris Scholasticorum additis eruerunt, ac Ontologiam, quae olim Lexicon Barbarorum verborum erat, scientiae forma atque habitu induerunt. Quoties non praetermittet aliquid, quod ad notionem rei pertinet? quoties non admiscebbit, quod ab eadem remouendum erat, qui huius philosophiae cognitione et vsu destitutus est? Faciat periculum rei, qui volet; eruat notiones sibi ante non cognitas ex auctorum locis; comparet tandem cum notionibus, quae a sanioribus philosophis traduntur: Musas omnes mihi habeam iratas, nisi saepissime multum inter utramque discriminis intercedere senserit.

#### §. XV.



## §. XV.

Quantum vero cunque Logica doctrina ad intelligendos interpretandosque autores praefidii contineat; sola tamen illi negotio minime sufficit, nisi socia ipsi naturalis moralisque scientia iungatur. Autores notiones vocabulis respondentes supponunt, neque eas data opera, nisi vbi opus fuerit, exhibent; sed id tantum praestant, ut vocabulorum phrasiumque ope easdem in animis lectorum iam latentes excitant denuo, atque earum conscientiam efficiant. Nisi igitur quis ad interpretationem vel lectionem notiones ex Philosophia naturali et morali, aut aliis etiam artibus et earundem historiae haustas afferat; in multis coecutiet, neque auctorum mentem capiet, etiam si, vt Sextus ait,  $\omega$ ) μυριάνις ὄνόματα ἐπισήσῃ; immo τὸ  $\omega$ ) adū. τυχὸν ἐπιγραμμάτιον ἔχει οἶος τε ἔσται νοῆσαι. a.) Non afferemus, quae is confirmandas sententiae causa paullo  $\omega$ ) p. 284. ante exempla suppeditauit. In eo enim omnes mecum facere confido; quod, vbi de rebus naturalibus et moralibus exponunt autores, sine earum cognitione vera interpretatio tradi nulla possit. Illud vero hoc loco monendum esse video, non alio sensu hic naturalis moralisque scientiae cognitionem a Grammatico requiri, quam quo Vitruvius  $\beta$ ) perfectum Architectum nullius fere artis  $\beta$ ) L.I. c. 1. rudem esse vult. Ita autem ille: Non debet nec potest Architectus esse Grammaticus, vt fuit Aristarchus, sed non agrammatos; nec Musicus vt Aristoxenus, sed non amulos; nec pictor, vt Appelles, sed graphidos non imperitus; nec Plastes vt Myron seu Polycletus, sed rationis plasticae non ignarus; nec denuo medicus, vt Hippocrates, sed non aniatrologicos; nec in ceteris doctrinis singulariter excellens, sed in his non imperitus etc. Non igitur Grammaticum esse volumus in scientia naturali Plinio, Neutono, Vallisniero, Wolfio etc. in morali autem

C 2

Socrati,



Socrati, Seneca, Grotio aut Pufendorfio parem; sed historica saltem harum philosophiae partium cognitione instructum; rationalis autem ita peritum, ut qui eam et diutissime et accuratissime didicerit. Ceterum illud etiam patet, iis quoque in locis, vbi de philosophiae quodam capite non exponitur, saepissime occurrere, quorum sensus sine iis, quas diximus, philosophiae partibus percipi non potest. Quis enim, nisi physices gnarus, aut cape-

v) Od. I, 13. re ipse, aut interpretari recte illud Horatii potest: γ)

Vae, meum

Feruens difficultile tumet iecur etc.

;) Od. II, 11. aut illud: δ) - - arida a)

Pellente lasciuos amores canitie.

;) Fab. III, 3. aut Phaedri: ε) Aesopus ibi stans naris emunctae b)  
senex.

Quis vero doctrinae moralis cognitione destitutus

;) Horat. capere illa potest: γ)

Od. II. 2.

Latius regnes auidum domando spiritum

Alteram fortem bene praeparatum peccus η)

- - neque consularis

Summo-

;) Vid. ad h. l. Lambinus. Ita etiam caluicies arida dici posset. v.  
Macrob. Saturnal. L. VII, 10.

b) Physicis mucus ingenio obesse creditur, vnde hebetudinem et  
stultitiam mucus veteribus significat. Apud Lucianum in Dial.  
mortuor. p. m. 187. Menippus Aeaco rationem redditurus,  
eum Empedocles se in Aetnam praecepitauerit, ε, με Δια, ait,  
μελαγχολία τις, ἀλλά ψευδόξεια, τύφος τοι πολλή κόρης.  
Suidas: κορυζών, μεμωραμένος T. II. p. 352. ed. Küst. Hinc  
vhus ellebori apud veteres. v. Petronius p. 24. ed. Wower. Gel-  
lius XVII, 15. et Menagius ad Laert. IV. 6. 2. p. 184.

\* \* \*

21

Summouet licet miseris tumultus mentis. *b)*

<sup>a)</sup> Horat.  
Od. II. 16.

inuidiaque maior. *i)*

<sup>i)</sup> - 20.

ne nimium pii etc. *c)* *ii)*

<sup>ii)</sup> - III. 3.

### §. XVI.

Haec tenus interpretis munera bene fungi non posse Grammaticum, nisi philosophia imbutus sit, demonstratum est. *a)* Quod si hoc unum Grammatico commodum

- c)* Multi sine dubio, quid doctrinae moralis ad intelligenda ista opus sit, requirent. Quid enim his facilius? audum spiritum domare, est, die Begierde nach Reichthum zähmen oder bändigen, peccatum praeparare, sich gefest machen auf ic. Miseri mentis tumultus, die unglückselige Unruhe des Gemüths, inuidia maior, der des Neides unsägig ist. nimium pius, der allzu fromm ist, eine überflügige Frömmigkeit. Ita scilicet et olim, cum  $\alpha\varphi\eta\lambda\epsilon\sigma\tau\phi\varsigma$  esse, credidi. Sed fallitur, quisquis ira statuit. Intelligimus auctorem, cum ea cogitamus, verba ipsius legentes, quae ipse scribens cogitauit. Haec autem legens, si praeter verba Germanica nil cogitat, non sane cogitat eadem cum Horatio Philosopho illo, vt constat, non vulgari. Res ipsae quae verbis significantur cogitandae sunt. Vnde vero nouit illas puer? Non nisi duplex datur illa aetate rerum cognoscendarum ratio; altera quae sensu sive interno sive externo nititur; altera quae institutione continetur. Intellecturus igitur Horatium vel ipse in se olim expertus esse deber, quid sit, domare audum spiritum? (idem scilicet efficiendo et praefando,) quid, praeparare peccatum? quis mentis status, cum miseris illos tumultus sentit, et quae virtutis magnitudo sufficiat, vt mens maior sit inuidia? vel ex doctore interprete discere. Illud quidem a pueris rarissime requiri et expectari potest; hoc autem ab eo, qui philosophiam moralē ignorat, effici nequit. Plura exempla non addimus, ne prolixiores iusto simus.
- a)* Multa hic possent addi, si limites disputationi constituti id patenterentur. Ostendi v. c. poterat, saepissime non posse tradi, quo-

C 3

modo





dum afferret Philosophia, de quo dictum est, esset id sane magnum et ad commendandum Grammatico Philosophiae studium satis. Haud vero tam arctis finibus circumscribitur eius in auctorum tractatione utilitas. Neque minus falleretur, qui his veluti angustiis eam includere sustineret, quam qui Grammatici auctores tractantis munus sola interpretatione definiunt. Quemadmodum igitur ad interpretationem alia quaedam accedere debent, si quis omnem fructum percipere discentes vult, qui ex auctobus capi potest; ita dubium non est, quin praeter eum quem diximus multi adhuc alii sint Philosophiae in auctobus enucleandis usus. Non omnes Grammatici muneris partes enumeramus, qui perfectum Grammaticum hic formare non suscepimus. Ad ea nunc sufficiat animum attendisse quibus sine philosophia fungi feliciter nemo potest.

### §. XVII.

Intelligere auctores, etiamsi utilitatis multum habeat, haud tamen unum omnem complectitur, quae ex iisdem hauriri potest. Illud enim in primis tum per se tum propter imitationem, quae vel maxime auctorum lectio proposita est, et utile vehementer est et necessarium, ut magister, quid verum sit? quid falsum? quid perspicuum?

modo a propria significatione ortae sint impropriae, nisi distinctarum notionum ex Philosophia petendarum ope: cur huic substantiuo sit tributum hoc epitheton ab auctore non aliud; quae et quomodo significationi verborum natuac usu et imaginationis ope alia praeter eam vis accesserit, cf. Lami L' art de parler. pag. 55. et quae alia eiusmodi sunt. Ea vero, quae ex Clerici Arte Critica, qua nemo humanior facile carere potest, trahi hue possent, quae sanc multa sunt, rectius ex ipso libro hauriri poterant.



um? quid obscurum? quid ambiguum? quid sensu creat? quid iucundum et pulerum? quid naturae rerum conueniat? quid affectatum sit? quid affectibus commo- uendis aptum? haec omnia, inquam, ut magister indicet, et cur eiusmodi sint, exponat. In his vero omnibus sine philosophia digne versari neminem posse, paucis ostendemus. Et ad verum quidem falsumque, quod adtinet; res nulla probatione egere videtur. Quis enim nescit, solam Logicam veri falsique, vero similis et dissimilis ma- gistram esse et iudicem, huiusque ope argumentorum vim ponderari debere? Quod ne nimii simus, nolumus multis declarare. a).

### §. XVIII.

Primam scribentis virtutem esse, Quintilianus λ) <sup>1)</sup> Inst. Or. ait, perspicuitatem orationis. Sensus igitur claros mini- meque obscuros habeat auctoris sermo, si vitiosus esse non vult. Ea autem orationis virtus philosophiae maxi- me auxilio et agnoscitur et comparatur. Perspicuitatis aequae ac obscuritatis plurimi fontes sunt. Multum enim hic vocabulis ipsis tribuendum est, eorumque composi- tioni,

\*) Saepe v. c. Livius aliisque historicorum lapidibus, sanguine, ra- nis, muribus pluisse dicunt. Quid autem hic Grammaticus? Num in sola interpretatione acquiesceret? Scilicet ut superstitione ac erudititas, ad quam nemo pueris proclivior est, alatur? Nonne quid in his narrationibus verum sit, quid falsum, docendum puerum est? que origo earum fuerit et occasio aut esse potuerit? Ita scilicet Vossium in explicando Mela memini versari, quem vide, cf. Vallisn. coniecturam Bibl. Ital. T. I. p. 154. Videntur autem mihi haec opera iuuenum animi sensim paullatimque vero a falso, argumentis veris ab iis, quae speciem tantum veri ha- bent, distinguendis affuefieri; quod non potest non esse et ut- lissimum et magistris literarum maxime omnium expetendum.



tioni, multum rebus, quae vocabulis phrasibusque significantur; plurimum denique notionibus, quae sunt cum lectori auditoreue communicandae. Prima igitur Grammatici cura in vocabulis versari debet, quorum ratio ita omnis explicanda est, ut, num visitata sint, num obsoleta? num sit a recepto plurimis sensu recessum? et quae alia sunt eiusmodi, ab omnibus intelligatur. Qui enim vocabula phrasesque visitatas adhibet, et eum illis sensum tribuit, qui ipsis ab omnibus tribui solet, peregrinis autem, barbaris et antiquatis se abstinet, neque nimia in transponendis vocabulis licentia viritur, primum is certe gradum ad dilucidiae orationis laudem consequutus est; qui secus facit proximum ad obscuritatem quae maximum orationis vitium merito habetur. Quamuis autem in hac re excutienda philosophiae utilitas quaedam sit, quod ex iis, quae supra dicta sunt, constat; nolumus tamen hic ita morosi esse philosophiae laudatores, ut, plurimum hic lectioi tribuendum esse, nec non historiae, atque ei Grammatices parti, quae de structura orationis praecipit, negare velimus. Neque alterum philosophiae vindicamus totum, quando videlicet perspicuitas et obscuritas ex breuitate orationis et prolixitate, aestimatur. Saepe certe breuitas officit claritati, saepe etiam nimia prolixitas. μ) Atque hic sine dubio, quantum verborum sufficiat ad claram quandam cogitationum imaginem exhibendam; vbi paucis, vbi multis opus sit; vbi ipsa breuitas perspicuitati proficit; vbi ipsa prolixitas eidem ob sit; nemo rectius Philosopho existimare potest. Quum denique ut plurimum multum obscuritatis creent vocabula, quae notiones modorum mixtorum, ut Lockius α) loqui solet, vel ut Leibnitio eiusque affectis placet,

quae

α) Quibusdam, qui sibi sapere in primis videntur, illud in lingua Latina esse reprehendendum putant, quod verba licet variis modis

12) Senec.  
Ep. 114.  
Quin. IV.  
14. Bou-  
hours. I. c.  
p. 434.

\* \* \*

quaæ per combinationem arbitriariam formamus: haud equidem negauerim, Philosophum, quid in his obscurum sit, aptissime iudicare posse. Neque tamen et illud dubito concedere, in hac re præcipuum negotium esse lectionis cum cura instituae. b)

### §. XIX.

Illud autem sola philosophia omne merito dicit sum, quando ex ideis, quae ab auctore exhibentur, perspicuitas et obscuritas orationis aestimanda est. Multarum rerum nullas ideas habemus, aut certe valde obscuras. Nihilo tamen minus qui, quid clarum obscurum sit, iudicare nequeunt, clare perspicueque se loquitos putant, quando multa de iis verba in medium protulerunt. Ita enim imbuti factique plurimi sunt, ut vocabula discant pſitracorum more; de ideis autem claris, cum iisdem inter loquendum iungendis, ne per somnium quidem cogitent. Hi vbi illis saepe diuque usi fuerunt, eademque sibi familiaria veluti reddiderunt; putant se intelligere, quae loquuntur, aut legunt; quam omnino parum aut nihil earum rerum intelligent, quae verbis

modis transponere; neque ordo propositionum Logicus seruetur, quod secus sit in Gallica lingua et quibusdam aliis: Sed vide, quae de hac re pro lingua latina elegantissime disputat Rollinus Methode pour enseigner et étudier les belles lettres T. II. Chap. de l'arrangement des mots.

b) Vid. h. l. Lock sur l'Entendem. humain. L. III. c. 9. p. 382. Hic liber III. dignus est, qui a literarum humaniorum magistro diligenter euolutatur, quam ex ipso plus utilitatis, quam ex omnibus Lexicorum thesauris, capere eum posse confidam.

D



verbis significantur. Isti vero, vehementer scire cupio, quo modo perspicuitatis obscuritatis iudices agere possint? Illud etiam confido omnes mihi esse daturos, non posse quemquam clare dilucideque eloqui, quae ipse clare distinetque non cognoscit. Quis autem praeter philosophum recte existimare potest, clare obscurene cogitauerit is, quem legit? Vsi certe experientiaque magistra discimus, multis, qui noctuarum more in tenebris reetius vident, ac in multa luce, clara dilucidaque videri, quae obscurissima sunt, quaeque legens Philosopherus, cognitione illa coeca et verbis mente cassis non contentus, quod cogitet, non habet. Evidem non ignarus sum veteres multos hoc obscuritatis genere non adeo saepe laborare, Ciceronem dico, Nepotem, Caesarem, Virgilium, Horatium, et qui his sunt similes. Neque tamen et illud me latet, saepe obscuritatis reos esse illos auctores, qui seculo his proximo vixerunt, et nimia sententiarum argutiarumque captatione effecerunt, ut saepe numero orationis lumen deficiat, aut certe multa ambiguitate lectors vexentur. Nemo, qui Senecam, Tacitum et similes legit, quid velim, ignorat.

## §. XX.

De sublimi non opus est, ut hic, quae praestantissimus eloquentiae magister, Longinus praecepit, repantur. Illos vero fas est reprehendere, qui omnem sublimitatem verborum magnificentia metiuntur. Quod enim Longinus aliquie <sup>v)</sup> recte monuerunt, sublime cum simplicitate verborum optime potest consistere. Cum autem ea, quae verbis continetur, sublimitas sine philosophia facile capiatur: tum vero illa, quae sensibus verborum

<sup>v)</sup> Vid. Bouhours marie de bien penser p. 138.

\* \* \*

rum solis metienda est, sine ea percipi nunquam fere  
 potest. Ego sane, quum olim exempla sublimis oratio-  
 nis a Longino περὶ ὑψοῦ, Werenfelsio de Meteoris, Bu-  
 hursio, l. c. aliisque eloquentiae verae doctoribus allata  
 legerem, plane affentiebar Huetio, Thomaſio atque aliis,  
 qui in illo Genes. 1. 3. nihil sublimitatis inesse putant.  
 Neque enim concipere poteram, quid sublime dixerit  
 is, qui interrogatus, in tanta rerum omnium magnificen-  
 tia et abundantia optime quid ipsi placeat? respondit:  
 Ego. Quid Medea, idem illis respondens qui, quid ipsi  
 contra tot hostes restet, ex ea quaerebat? Quid Horatius  
 ille apud Liuium, qui interroganti, quid tertio fi-  
 liorum vni contra tres Curiatios faciendum sit? respon-  
 dit: Moriatur. Nunc vero quum auctores non verbis  
 solum sed rebus etiam et sensibus aestimare, pro ingenii  
 facultate, didici; in his cum Longino Werenfelsio, Boi-  
 lauio, Tollio, Hudsono ad Longinum, Rollino facien-  
 dum esse vidi, verumque intellexi illud Illustris Berge-  
 ri: ξ) Error Huetii eo venit, quod ea demum oratio ξ) De natur.  
 ipsi sublimis visa est, quae distincta esset luminibus ver- pulcritud.  
 orat. p. 346.  
 borum, in quo errore, multi etiam alii versantur; quum sq.  
 ea orationem tantum amplificant, sola autem rerum sen-  
 tentia grandem et sublimem reddat. Quid autem sit in  
 sententiis magnum, quid excellens et sublime, solus Philo-  
 sophus iudicat. Tumida fit oratio, quum verbis ma-  
 gnificis h. e. res grandes significantibus utimur in rebus  
 minime grandibus exponendis. Quum autem saepissime  
 solus Philosophus magnitudinem rerum aestimare, uti  
 diximus, possit; idem saepe solus tumidae iudex oratio-  
 nis esse potest.



## §. XXI.

Quid iucundum sit suaveque in oratione, non iniuncunde inquiritur ab humaniorum literarum magistro. Non vnam autem iucunditas illa habet caussam, sed multas, easque, vtut varias, similes tamen quadam ratione. Pulcrum esse oportet, quicquid delectat. Non igitur potest iucunda dici oratio, quae pulca non est. Omnem autem orationis pulcritudinem, aut verbis, aut ipsis rebus, aut denique ideis rerum, quae exhibentur oratione, tribuendam puto. a) Qui enim pulcritudinem orationis omnem aut praecipuam saltem in verbis quaerunt, quod est Grammaticis philosophiam ignorantibus ac propter ea contemnentibus valde solempne; nac illi, quid sit pulcrum, cum ignarissimis ignorant. Quodsi ad viuum refecare hic omnia vellemus; omnem verbis pulcritudinem denegaremus. Quid enim sunt verba, nisi signa? Quid autem in signis eiusmodi pulcritudinis esse et suavitatis potest? Aptum iis, si recte formata sunt, tribuo facilisque vsus laudem: Pulcrum, nisi id ipsum, quod dixi, pulcrum esse velis, non video. Qui hic ita sunt acuti, vt plus pulcritudinis videant, signis, credo, Pharmacopolarum, Medicorum, Mercatorum, Astrologorum, etc. pulcritudinem etiam iucunditatemque tribuent. Sed vt liberaliores nos habeant, qui secus sentiunt; demus, in verbis quoque pulcritudinem quandam occurgere. Omnis autem illa pulcritudo tum oritur, cum verbis visitatis probatisque utimur; cum ab obsoletis, barbarismis, solo-

a) De pulcro ac de orationis etiam pulcritudine post Niphum Croufaz integro libro egit, sed facundius saepe, quam accurate et solide. Rectius hic consules Ill. Bergerum. l. e.

\* \* \*

soloecismis, nobis cauemus; cum puritatis ratio, quam diligentissime potest fieri, habetur, denique cum verborum omnium is et ordo et nexus, ut sonora sit et numerose cadens oratio. Atque hanc quidem pulcritudinem et inde ortam suavitatem etiam ab iis percipi, qui Philosophiae parum gnari sunt, neque ex hac laude quicquam sibi decerpere Philosophiam posse, facile largior.

### S. XXII.

Alterum iucundae orationis genus illud est, quod rebus, de quibus agitur, omne continetur. Multi, quid sit, fatentur se ignorare, quod tropis ac metaphorae in primis tantam suavitatem conciliat. Mihi hac de re cogitanti visum est vero proximum, iucunditatem illam saepe inde oriri, quod vocabula ab alia ad praesentem rem translatâ sunt iis rebus propria, quae non sine suavitate percipi et cogitari possunt. Quid magis delectat, quam lux, quid iucundius sole, sideribusque? Quid igitur minimum iucundam esse orationem, quae harum rerum nominibus apte vtitur? Atque hoc quidem, Philosophia opus non est, vt concipi possit atque intelligi. Qua autem ratione iucunditas illa cum nominibus a re una ad aliam transferatur, non nisi Philosophi est intelligere. Ille enim imaginationis naturam, vim et leges diligenter scrutatus, qua id ratione fieri possit, intelligit. Hac animae cognitione instructus illud etiam perspicit, cur alterum valde interdum delectet oratio, quae alteri nihil praecipuae suavitatis habere videtur. Mihi certe saepe accidit, vt meos, numquid in oratione ipsis magnopere placeat, roganti ita responsum fuerit, vt alter affirmaret, alter vero negaret, rationes tamen neuter reddere posset.

D 3

Quod



Quod ubi contingit, magistro literarum humaniorum  
puto esse faciendum, ut aptis et sensa animi, velut in ob-  
scuro latentia, facile elicientibus interrogatiunculis ratio-  
nes diuersimode affectorum animorum exploret. a) Cum  
enim per se vtile sit, ita imbuere suos, ut nil sine ratione  
sibi agendum, affirmandum, laudandum, admiran-  
dumque putent; tum vero cognitis perspectisque de-  
lectationis rationibus et caussis iudicare magister potest,  
num reprehendenda sit delectatio, an probanda? Cogni-  
ta autem ratione, cur delectatio, quae omnino adesse de-  
bebat, non adsit, effici potest, ut delectatio ista oriatur.  
Quod quum efficiatur, illic quidem, quum rei, quae  
tantam iucunditatem creat, nihil pulcritudinis inesse;  
hic autem, eam pulcerimam, esse ostenditur: nemo  
non videt, res, de quibus exponit auctor, plane cogni-  
tas perspectasque esse magistro debere. Quod quum fa-  
pissime non nisi apud eum habeat locum, qui Philoso-  
phus est; digne in eo negotio sine Philosophia neminem  
versari posse colligimus.

### §. XXIII.

- a) Sunt qui de gustu, quem vocant, disputantes, varios eos-  
que a se dissentientes gustus, ut ita loquar, non agnoscent  
modo, sed probant etiam. Alium esse Italorum, Gallo-  
rum alium, ac Germanorum, Anglorumque etc. gustum  
aiunt. Non nego. Illud tamen vehementer nego, nul-  
lum horum improbandum, sed suum cuique linquendum,  
denique unumquemque eorum esse laudandum, quippe qui  
naturales singuli sint. Scilicet hi origines gustus non intelli-  
gunt, ex imaginatione, educatione etc. explicandas. Dein  
illud ignorant, saepissime accedere posse, ut res nobis pulcre  
videantur, quae pulcre non sunt, adeoque gustum etiam  
posse esse corruptum.

\* \* \*

§. XXIII.

Tertium mea sententia atque amplissimum iucundae orationis genus est, quod id earum, quae oratione exhibentur, pulcritudine nititur. Ideam autem tum pulcrum esse dico, quum perfecta, distincta, plane denique eiusmodi est, ut rei quam maxime dilucidam, claramque ac optime expressam imaginem animo sistat. Haec res semper atque tum etiam suaves reddit metaphoras, quum a rebus iucundis petiae non sunt. Quid habet iucundatis porcus? Sed suauior tamen est oratio, vbi porcum de Epicuri grege cum Horatio dixeris, quam vbi Epicuri affeclam. Vnde autem haec iucunditas oritur, nisi quod plus cogitem, et clarior mihi sit Epicurei notio, quum de Epicuri grege porcus dicitur, quam vbi Epicuri affecla? Idem vero de omni oratione grata dici potest. Quis mortem Didonis Virgiliana gratam sibi dixerit? Nihilo tamen minus ita illa a Virgilio descripta delectat, ut nihil supra. Quae est caussa huius tantae delectationis, praeter perfectissimam rei explicationem? Cur illa Curci oratio tam grata est, quae regiones et flumina describit, nisi quia plenissimas earum rerum imagines exhibit, ita ut coram spectari videantur. Idem de Charakteribus Velleianis dici potest, verbo, de omni oratione incunda. Nemo suave negabit esse illud Martialis de Domitiano: o)

o) L. VII.

Diligeris populo non propter praemia, Caesar:

Propter te populus praemia, Caesar, amat.

Et



w) L. XI, 6. Et illud π)

Ipse quoque infernis reuocatus Ditis ab ymbriis

Si Cato reddatur, Caesarianus erit.

Sed vnde quaeso est ista suauitas? Nonne inde, quod illi quidem versiculi plenissimam amoris ciuium erga Domitianum notionem exhibent, et qualis ille quantusque fuerit, plane declarant: hi autem, iusti, mitis, sapientisque imperii Caesariani. Qualem enim esse Caesarem oporteat, cui Cato ille velit parere, nemo non intelligit. Antithesis etiam, quae Graecis dicitur, grata est, si apta est, parca, nec praeter rationem et nimium saepe caprata. Id sit propterea, quod hoc orationis genere res clarior efficitur, secundum illud, quod solet dici: Opposita iuxta se posita magis eluescunt. Quae ipsa res etiam de vero antithesium visu recte statuere docet. Tum scilicet serrendae sunt, quum, pulcræ, suaves et ad notionum perspicuitatem faciunt: vbi nihil, reiciendæ, ineptæ, ingratiaeque sunt, et affectatum quid sapiunt. Num vero metaphora, antithesis aliaque quaecumque oratio perfectas rerum imagines exhibeat, quum non nisi is possit iudicare, qui rerum notiones perfectas atque plenas ipse antea tenet, aut certe notionum diuideandarum regulas recte nouit; illud autem saepe numero Philosophiae cognitionem, hoc Logices requirat: neque in hoc orationis iucundae genere bene versari poterit, qui Philosophiam ignorat.

#### §. XXIV.

Acumen etiam et ingenium orationi saepe tribui sollet, quod non parum facere ad conciliandam ei suauitatem

\* \* \*

tem recte putatur. In hoc quidem agnoscendo quid philosophia valeat, paucissimis dicendum est. Acutum et ingeniosum illud dico, ad quod excogitandum multum animae acumen multumque ingenii requiritur. Acumen autem eam esse animi vim puto; quae et difficilla, et obscurissima natura sua, et minima quaeque ac plurimorum cognitionem effugientia perspicit et capit, atque, ut ita dicam, in intima veri penetrat. Hanc vim quae indicat oratio, acuta mihi est. Igitur ad agnoscendum id, quod vere acutum est, requiritur, ut quid difficile cognitu sit, quid subtile et ita tenuie, ut perspicacissimi etiam oculos lateat, iudicare, ac cognitionis magnitudinem et gradus, ut Philosophi loquuntur, veluti metiri possis. Quod num ab eo, qui Philosophus non est, expectari vnuquam possit, omnes facile intelligent.

### §. XXV.

Puleritudinem orationis gratam esse vidimus. Sed naturalis illa esse debet, ut recte praecipit Petronius, non affectata, aut curiosa, ut idem ille ait, aut extra rem petita, ut Quintilianus loquitur L. VIII. c. 5. Illa enim ornat orationem; haec vitiosam, deformem, inquinatam, insultsam ac illis feminis similem reddit, qui minio, crera aliisque medicaminibus puleritudinem quaerunt. Naturale autem illud est, quod ex ipsa rei natura intelligi potest; quod non factum sed natum; non quaesitum anxie, sed sponte oblatum; non ascirum, sed a re ipsa petitum est. Quae ipsa res, quid naturale non sit, declarat. Quam pulerum et suaue illud Virgilii est *g)*

*p) Aen. X.*

*424.*

Simillima proles  
Indiscreta suis, gratusque parentibus error;

E

Sed



Sed quam a re ipsa ita eiusque natura profectum, ut non  
potuisse non haec cogitatio Virgilio occurrere videatur?  
¶ L.V. sc. Tale illud Martialis σ)

Si post fata venit gloria, non provero.

Hanc pulcritudinem sectata est Ciceronis aetas; quae  
hanc secuta est, saepe neglexit, et quae sitam illam cele-  
brauit. Testes sunt Plinius junior, Seneca, Tacitus  
atque alii. Hi enim dum semper et ubique pulcri,  
grandes, acuti atque ingeniosi esse volunt; neque tamen  
omnia grande quid aut pulcrum habeant, neque subti-  
lia sint omnia; extra rem petitas pulcritudines et aliena  
acumina excogitauerint atque attulerint adeoque a pristi-  
na illa et naturali pulcritudine recesserint, necesse est.  
Nolumus exemplis rem declarare. Legat hos autores  
cui talia inuenire volupet. Illud addere iuvat, facia-  
mus enim suminam dictorum; cum naturale sit id quod  
ex rei natura proficiuntur; neminem naturales ab emen-  
titis, proprias ab ascitis distinguere pulcritudines posse,  
nisi qui rerum naturam penitus tenet, aut explorare ad  
regulas Logicas potest, hoc est, qui Philosophiae ap-  
prime gnarus est.

### §. XXVI.

Sed ne nimii in his declarandis simus, quae ad Au-  
torum interpretationem atque tractationem qualen-  
cunque pertinent; ad alteram perfectae Grammaticae  
partem progrediamur, paucisque ei philosophiam asse-  
ramus. Hanc scribendi loquendique scientia contineri  
diximus; doctrinam de stilo solent appellare. Duplex  
autem

\* \* \*

autem huius genus liceat considerare, alterum poeticum, solutum alterum. De illo paucissima, ac ei propria. Praecipuum quod poetae obseruandum, illud est, ut res omnes plene, perfecte et cum iucunditate quadam describat, et viuis veluti coloribus pingat. Quia vero id ratione sine perfecta rei pingendae cognitione fieri potest? Quoties enim hic non res occurunt, quae sine philosophia recte teneri nequeunt? affectus puto animi, res naturales, mores, et quae his sunt similia. Quis credit, Virgilium Didonis mortem tam praeclare describere potuisse, nisi intimos animi recessus tenuisset; nisi amoris, desiderii, irae, metus, vacillationis, desperationis denique naturam penitus ex philosophia haussisset. Quis Catonem digno carmine celebrare potest, nisi magnanimitatis, constantiae, virtutisque plane callens sit? Quid igitur agunt qui suos iubent carmina scribere, rerum accurata cognitione non instructos? Nonne, quod is, qui aedificare iubet sine lapide, calce, ligno et luto? Egregios vero artis poeticae magistros!

### §. XXVII.

Quandoquidem nec vocabula nec formas loquendi omnes capit versus omnis, copia vocabulorum et phrasium adsit oportet carmen scripturo. Quid autem hic plurimi? Thesauros poeticos, Gradus ad parnassum et similes libellos commendant. Apage vero cum istis librorum quisquiliis et iuuentutis corruptelis? Disce potius imaginationis naturam, atque ea recte uti eos doce. Id vero ut efficere possis, philosophiam prius disce. Clarius rem omnem explicabo. Primum illud dico, non esse eodem tempore scribendi neque in prosa, neque in

E 2

ligata

ligata negotium puero imponendum, quo ei scriptorem  
latinum explicare primum incipimus; hoc enim sine du-  
bio, vtut vstatum sit, ineptissimum est. Dein vbi quan-  
dam linguae cognitionem ex autorum lectione Discipulus  
hausit, et, de hoc enim nunc loquimur, versibus facien-  
dis eum admoues; effice relicts omnibus, vt rem, de  
qua scribendum est, perfecte teneat; imaginationis vires  
excita; in omnes partes versare rem doce; causas eius,  
effectus et quae his similia sunt, propone; tum vero si  
ipsi defecerit oratio, abiice negotium, nondum aptum ei-  
dem discipulum crede. Si aptus fuerit, sponte vocabula  
phrasesque succurrent, quibus recte vti poterit. Nisi pe-  
nitus fallor, labor carmina pangendi multo facilior hac  
ratione futurus esset, neque adeo inepta a pueris versus  
scribentibus prolatum iri puto, vt fieri solet. Quando-  
quidem autem exemplis res omnis maxime iuuatur; vel-  
leum paulo alia ratione in explicandis poetis versarentur  
scholarum magistri, ac mos est. Quid enim hi poetam  
explicantes agunt? Verba interpretantur, antiquitates,  
fabulas, historiam explicant, phrases excerpunt, figuratas  
enarrant. Quid amplius? Nihil fere. Quanto rectius  
consulerent illi snis, si primum illud etiam adderent,  
quod §. 19. sq. requisiuitus; deinde vero, qua ratione  
rem tractauerit et veluti versauerit poeta, vt in hanc for-  
mulam, quam illi tam elegantem esse praedican, incide-  
rit. Neque enim puto tam ineptum quenquam esse, vt  
poetas illos veteres credat eiusmodi formulas ex aliis  
hausisse et memoriae mandasse, aut thesauros poeticos  
consultuisse. Rem exemplo mihi, nunc Eclog. I. Virg.  
meis interpretanti, facile obuio declarabo. Formula il-  
la: tibia canere, versui aliquoties aptanda erat. Quid  
hic Virgilius? Rem ipsam ab omni parte considerauit,  
causas,

causas, id ex quo tibia confecta est, sonum ipsum eiusque modos, effectum sonorum in siluis editorum, rationem et statum eius, qui agit tale quid etc. Hinc quot non formulae? Nonne inde illud v. 4. formosam resonare doce Amariyllida sylvas. v. 9. Ludere quae vellem calamo agresti et quae aliae eiusmodi saepe occurunt. Eadem ratione mihi declarandum erit, vnde Virgilio diuersae arationem, nauigationem exprimendi rationes. Vrinam molium illarum Criticarum loco eiusmodi commentarii in poetas existerent quidam; quorum nunc mira paucitas est. Plurima eiusmodi unus, quem noui, de la Gerda ad Virgilium protulit, neque facit tamen, quod esset satis. Hanc rem autem sine multa philosophia effici non posse, quid opus est, vt dicatur?

### §. XXVIII.

Accedamus ad solutam orationem. Ad huius autem facultatem consequendam vt via muniri a magistro humaniorum literarum possit, quis nunc fere est, qui credit, philosophia eidem opus esse? sed vel ex iis quae supra dicta sunt, quam in eo fallantur, intelligi potest. Addamus tamen pauca. Primum in hoc negotio illud est, vt assuefiant pueri ad regulas syntaxeos exigere omnia. Nihil hic negotii philosopho. Facile largior. Dein barbarismos caueat. Nec ad hoc docendum philosophia iuuatur magister. Proximum est, vt soloecismi absint. Num et hic carere philosophia magister potest. Non plane. Multos enim soloecismos sine hac non agnoscet melius ac ille ridiculus apud Lucianum soloecista. Vis exemplum? Lucianus in soloecist. T. II. p. 729.

E 3

ed.



ed Graeu. illud: ἀρτὶ σολοκιῶ p. 751. νῦν δὴ γενήσομαι τοι  
διαλεγόμενος, inter soloecismos refert. Qui vero illi soloecismi? Thomas Magister et Phrynicus, allegante Graevio, dicunt ἀρτὶ requirere praesens, praeteritum, non vero futurum; id quod etiam de altera particula νῦν tendendum. Cum his facit Graeuius. Haec quam belle! Cur vero ita? Dic amabo. Deficit ratio scilicet, quia rem non capis, ac regula tua fallitur. Sunt illi quidem soloecismi, sed propterea, quia de re praesenti tanquam de futura loquuntur. Per se autem ἀρτὶ et νῦν cum Futuro, quicquid αἴφησσοφοι Grammatici dicant, soloecismus non est. Quod si enim de re proxime praeterita τὸ ἀρτὶ et νῦν vti licet, cur non etiam de futura proxime? Atque ipse Graevius fatetur a quibusdam Graecorum τὸ νῦν futuro additum esse, etiam si, vt ille putat, male. Quis reprehendere audeat dicentem: ἀρτὶ ἐλεύσομαι; iam iam veniam; ich will ißt gleich kommen. Nonne vero illud vitiosum esset, si de re quae non praeterita proxime est, sed plene praesens, perfecto uterere. Rectius igitur vides in his saepe rationem consuli quam regulas syntaxeos. Talia plura afferri possent, si spatium pateretur. Consulet Lucianum, qui voler, plures his similes inteniet soloecismos, qui rectae rationis ope optime deteguntur.

### S. XXIX.

Sed puritas etiam ratio scribenti habenda. Res iam acta videtur. Sed videtur tantum. Barbaricos recusat puritas et soloecismos; sed illud etiam, quod omnium maxime notandum, ne vocabula et formulae alieno sensu adhibeantur, ac ab illis latinitatis autoribus aureis adhibitae

\* \* \*

tae fuerunt. a) Verum autem vocabulorum phrasiumque sensum sine philosophia neminem corissequi posse, supra est ostensum. Proxima p̄tritati est perspicuitas; huic ornatus et elegantia. Haec autem cum sine philosophia saepe ne agnosci possint quidem, multo minus quomodo imitanda sint et efficienda, sine ea doceri potest. Denique nec ab ornatu inepto, affectato, superfluo, intempestivo, nec a tumore inanique floscilorum strepitu et nugis sonoris ea destitutus magister cauere suis potest. Non egit res verbis, quae ex superioribus ita constat, ut monuisse lectores sufficiat. Rectius igitur veteres philosophiam et logicam in primis cum literis humioribus coniungendam putarunt, id quod vel Aristoclis Lampacenii philosophi exemplo constat, qui IV. libros de ratione eloquendi et cogitandi scripsit, teste Suida v. *deisonijs* T. I. p. 326. Kuster. Nostris demum temporibus pessima illa haeresis orta est, ut cum Celeb. Mosheimio, loquar, quae philosophiae praefidum ad docendum discendantique recte scribendi rationem non requiri statuit. Addantur hic eiusdem Viri celeb. verba, quibus hunc nonnullorum errorem castigat, ex Praef. ad Vbert. Folietam de usu et praestantia L. L. p. 29.

### §. XXX.

Vnum, priusquam finio, monendum mihi in eorum gratiam est, qui optima quaque in pessimum sensum detorquere consueuerunt. Cum a Grammatico et echo-

a) Plura hic de puritate dicere constitueramus. Quae enim in vulgaribus de stilo libris traduntur, rem non exhaustiunt. Sed spatio exelusi alii occasione hoc negotium referuamus.



scholarum magistro philosophiae non leuem cognitionem exigo, non id volo, vt is systema aliquod philosophicum, Ridigerianum, Wolfianum, Buddeanum aut aliud suis proponat. Prohibeat istam a me stultitiam Deus! ac certo prohibet. Illud tantum hac omni disputatione efficere volui, vt intelligatur, neminem, nisi philosophia instructum, eis officiis facere satis posse, quae Grammatico eiusmodi ab omnibus tribuuntur. Non igitur discentes, vt apud Platonem, sed docentes illud Scholarum foribus veluti inscriptum putent:

Α'ΦΙΔΟΣΟΦΟΣ Ο'ΤΚ Ε'ΙΣΙΤΩ.



FC 1285

Vol 18

ULB Halle  
004 966 066

3



Sb.

nr.



B.I.G.

Black

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

Farbkarte #13

Centimeters  
Inches



DISSESSAT. PHILOSOPHICO-PHILOLOGICAM  
QVA  
**PHILOSOPHIA  
PERFECTAE GRAMMATICAЕ**  
ASSERITVR  
ad QVINTIL. INST. ORAT. L. I. c. IX.  
PRAESIDE  
**M. IOAN. AVG. ERNESTI**  
DEFENDET  
**GEORG FRIDER. BEHRMANNVS**  
LIPSIENSIS.

D. V. IAN. A. MDCCXXXII.

LIPSIAE  
LITERIS ZEIDLERIANIS.

